34-10-A-18- 57 226

DE INCREMENTO, AD AVGVSTINVM VALERIVM.

PER BASSIANVM Landum Placentinum.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Cum priuilegio.

VENETIIS, *Apud Balthaſſarem Con-ſtantinum, ad inſigne D. Georgij.*
M D L V I.

ALOYSIO CONTA= RENO THEODORVS ZVVINGGER S.

AMICORVM communia eſſe omnia, ueteri prouerbio circum=fertur. Itaque cùm Baſsianus Landus communis præceptor noſter commentarium hunc de Incremento, & elegantia & ordine planè admirabilem, creſcenti gloriæ Auguſtini Valerij dedicauiſſet: ego dum primas non poſſum, ſecun=das certè partes tueri uolui, & qui uni tantùm dicatus fuerat, pluribus communicandum cenſui, ne homini=bus noſtris in re adeo difficili & controuerſiarum plena deeſſe uide=rer. Quocirca typis excuſum tibi

nunc offero, ut quem & auctoris grauitas, & argumenti dignitas commendant, tu ſi opus uidebitur à Sophiſtarum calumnijs defendas. Hoc enim à te non modo familiæ tuæ ſplendor, quæ doctos uiros alere, & patrocinio ſuo tueri ſemper conſueuit, uerum etiam tua erga doctorem optimum & tui amantiſſimum pietas, inſita denique uirtus & modeſtia petunt atque efflagitant. Nam ut hoc poſſis, Dij tibi formam, Dij tibi diuitias dederunt, artemq; fruendi: ut hoc uelis, facit ſingularis tua erga ſtudioſos bonarum artium humanitas & beneuolentia. Suſcipe igitur, Aloyſi optime, commentarium hunc de Incremento: quo ut nihil unquam in ſimili philoſophiæ genere tractando præclarius & ma

gis peripateticum poſt Ariſtoteslis tempora fuit inuentum: ſic æternum Baſsiani erga Auguſtinum Valerium amoris pignus, meæq; erga te obſeruantiæ monimentum perpetuum eſſe debet. Tu quotieſcunque hunc inſpexeris, meminiſſe debes, Valerium uirtute ſua primùm, deinde amicorum opera, & præcipue domus tuæ ſtudijs adiutum, magiſtratum illum, quo amplior in hac Repub. adoleſcentibus concedi non poteſt, fuiſſe conſecutum, & philoſophos nunc tandem ex Platonis uoto regnare cœpiſſe. Vale, & auitam familiæ tuæ dignitatem, ita ut cœpiſti, amplificare perge. Patauij, V. Iduum Aprilis. M D L V I.

229

DE INCREMENTO, AD AVGVSTINVM VALERIVM.

SAEPENVMERO, Auguſtine Valeri, non ſolùm rogas, ſed etiam flagitas, ut breuiter & perſpicuè dicam meam ſententiam de Incremento. Rem ſanè perobſcuram & perdifficilem proponis: in qua exponenda & tractanda ne illi quidem, qui totum nomen ſibi uendicant in philoſophia, neque ſcripto neque uiua uoce tibi ſatisfacere potuerunt. Ego tamen dabo operam, ut intelligas, etſi tibi me cumulatè ſatisfacturum minimè confido, at certè gratam animi mei erga te uoluntatem non defuiſſe.

Itaque prætermiſſis hac de re recentiorum philoſophorum opinionibus, tentabo primùm explicare quid ſignificet Incrementum, ne ludamur ambiguitate uocum; ex quarum notatione facilior nobis parátur tranſitus ad rei quæ inquiritur eſſentiam: Deinde quid ſit definire, ope diuiſionis & reſolutionis in ſua principia, cauſas, & elementa.

Vt igitur mihi perſuadeo, tibi poteſt eſſe perſpicuum uel teſtimonio ſenſus, Incrementum nobis ſignificare mutationem quandam. Sed omnis mutatio, citra omnium controuerſiam, aut eſt ſubſtantiæ, aut qualitatis, aut loci, aut quantitatis. Quatuor igitur ſunt mutationis genera. Subſtantiæ quidem mutatio no-

minatur Generatio, uiciſſimq; Interitus. Qualitatis uerò, Alteratio. Loci, Latio aut Conuerſio. Quantitatis, Incrementum aut Decrementum, ſiue Accretio & Decretio. Sed propriè & appoſitè tria genera mutationis, nimirum Alteratio, Latio & Incrementum, nuncupantur Motus: quia Mutatio eſt commune nomen omnium. Ergo Motus erit genus proximum, Mutatio uerò remotum & communius: Præterea Generatio & Interitus atque Alteratio locum non mutant, ſed Latio mutat locum, & totum deſerit. Conuerſio quidem locum mutat, ſed non deſerit. Incrementum autem nec prorſus mutat, nec prorſus deſerit, ſed in ampliorem molem

exurgit, aut in minorem depri-
mitur. & ideo hoc ipſo differt à
Conuerſione, quia partes Con-
uerſionis locum ſemper æqualem
& parem acquirunt, Incremen-
tum non item; quoniam ex illa
elatione & depreſsione, partes rei
creſcentis totius neceſſariò occu-
pant aut altiorem aut humilio-
rem locum aeris ambientis. Sed
hoc loco Ariſt. te commouere
non debet, qui nuncupat Incre-
mentum Generationem: quia non
ſenſit Incrementum eſſe Genera-
tionem, ſed uoluit ſignificare no
bis, conſequi potius generatio-
nem, & ab ea nunquam ſepara-
ri. Sicut dicere conſueuit, Iram
eſſe feruorem ſanguinis; non
quòd ira ſit feruor, ſed quòd ſe-
quatur feruorem ſanguinis. Nec

enim augeſcit, niſi id quod eſt: Generatur autem id quod non eſt. Et ideo differt Incrementum, etiam ſecundùm dogma Ariſtotelis, à generatione, ſemper tamen hæret generationi.

Ex hac differentia ſanè mutationum, planum fit, Incrementum nihil aliud eſſe, quàm Motum continuum ipſius quantitatis. Eſt enim unus motus, quoniam corpus mobile unum eſt, & una forma, & unum tempus. Quemadmodum tibi contemplanti omnia principia Incrementi perſpicuum fiet. Nam ut qualitas per intenſionem alteraſcit, ita quantitas per extenſionem creſcit. Aſſimilatur enim ferro ductili, (ut libro primo de Generatione & Interitu Ariſtoteles te-

ſtatur) quod ictu mallei diducitur & extenditur in laminam ſiue bracteam. Extenditur tamen in omnes dimenſiones, inſtar ueſicæ; quæ à pueris ſæpius contrectata manibus diſtenditur. Siquidem augeſcente toto, quæque particula neceſſariò augeſcit. Itaque quia fit extenſio in omnes dimenſiones, Impinguatio & Obeſitas non eſt Incrementum, ſed perſimilis Incremento, quia non fit extenſio in omnes dimenſiones.

Cùm ergo fiat extenſio, fieri neceſſarium eſt aut per acceſsionem, aut per deceſsionem alicuius rei. Per deceſsionem fit potius Decrementum, quod eſt motus contrarius Incremento. Ergo Incrementum fiet per acceſsionem. Sed niſi commiſceantur ſi-

mul & id quod accedit, & id cui accedit, Incrementum nullum fiet. Quia, ut inquit Ariſtoteles libro vij. Phyſicorum, agens & patiens debent ſe mutuò contingere, ut fiat actio & mutua perpeſſio. Sunt enim disſimilia, quia ſunt contraria. Quòd autem ſint contraria, agentis appetitus indicat: ſiquidem agens non agit niſi propter hunc finem, ut ſibi aſſimilet paſſum, alioqui non eſſent ambo diſsimilia. Diſsimilia autem intelligi uolo ſpecie duntaxat, ſed genere ſimilia. Si nanque eſſent genere diſsimilia, neque agerent neque paterentur inuicem. Vt ſapor non agit in lineam, nec ab eadem uiciſſim patitur, quia ſunt utraque genere disſimilia. Ergo diſsimilitudo iun

cta quodammodo cum ſimilitu-
dine eſt cauſa actionis & paſsio-
nis . uerbi gratia , corpora agunt
& uiciſsim patiuntur , quia ha-
bent materiam communem & ſi
milem , à qua appetit alterum de-
pellere alterum contrarium; ſicut
ignis agit in aquam , quæ pro-
pter talem ſimilitudinem patitur.
Diſsimilitudo quoque eſt cauſa
actionis, quoniam corpora agunt
propter formas diſsimiles & con-
trarias . Argumento pariter eſt
aqua & ignis, quorum corporum
alternatim materia communis eſt
capax . Et ideo philoſophi uete-
res ad formas tantùm reſpicien-
tes , dixerunt corpus disſimile à
diſsimili pati , uicisſimq; agere .
Nonnulli uerò , ut Democritus,
reſpicientes ad materiam, affirma

runt ſimile pati à ſimili, atque mu tuo agere. Fit ergo acceſsio per mutuã actionem & perpeſsionẽ.

Sed hæc acceſſio, per quam res naturalis creſcit, uidetur fie-ri poſſe aut interior aut exterior. At interior non fit, quia corpo-ra creſcunt, quibus extrinſecus aliud corpus accedit; quoniam quæ internam acceſſionem pa-tiuntur, rectius dicuntur Rare-ſcere, quàm Increſcere, atque In-tendi, quàm Extendi. Rare-ſcunt enim corpora per intenſio-nem, nullo corpore extrinſecus accedente: ſicut aqua in lebete ferueſcens mutat locum, & ui-detur increſcere, quia aſſurgit, propter internam rarefactionem, & intenſionem partium. Hoc er go diſcrimine Incrementum ſe-

paratur à Rarefactione. Itaque fieri non poteſt Incrementum, niſi per acceſsionem externam alicuius materiæ. Sed materia aut eſt corporea, aut incorporea. Non eſt autem incorporea, quia non poſſet pati extenſionem in tres dimenſiones. Præterea corpus quod augeſcit habet tres dimenſiones. Fit uerò Incrementum per aſsimilationem materiæ: ſiquidem nihil in rerum uniuerſitate uerum ſuſcipit Incrementum, niſi etiam uerè nutriatur. Sed nutriri nihil eſt aliud, Ariſt. ſententia, quàm aſsimilari, & nutritio eſt aſsimilatio. Quocirca Philoſophi materiam hanc corpoream, quæ accedit ad partem augendam, partim ſimilem, partim diſsimilem ſtatuerunt. Si-

milem

milem quidem poteſtate, diſsimilem uerò re ipſa ſiue actu. uerbi gratia inter initia ipſius mutationis ſanguis eſt corpus, quod habet formam diſsimilem; poſtea uerò quàm mutatus eſt in carnem, fit omni ex parte ſimilis. Iam uerò materia corporea aut eſt prima, aut ſecunda. Prima quidem eſt quæ proximè ſubiecta eſt generationi & interitui. Ergo materia incrementi eſt ſenſilis & ſecunda, quia debet eſſe ſimilis ei cui accedit.

Accedit autem corpori compoſito, non ſimplici. Sed corpus compoſitum aut eſt animatum, aut inanime. Inanime autem eſſe nequit illud quod creſcit; ergo erit animatum. Quocirca capilli & ungues non uerè

creſcunt, quia ſunt partes inanimes: dentes creſcunt, quia ſunt animati, atque adeo poſſunt in quauis ætate ſuccreſcere. Sed corpora inanimia potius fiūt per quandam ſucceſsiuam propulſionem partium, ſiue coagmentationem inuicem concretarum: quemadmodum lapides in ipſis cauernis augeri dicuntur per additionem ſiue additamentum partium externarum. Fit ergo acceſsio materiæ ad corpus animatum. Sed corpus animatum aut cadit ſub ſenſum, & eſt ſenſile; aut cadit ſub intelligentiam & rationem, atque ſubterfugit ſenſum. Animatum quidem corpus, quod creſcit, non cadit ſub rationem, ſed ſub ſenſum. Quia ut nec homo generatur, nec caro nutritur,

ſed hic homo, & hæc caro, quæ ſenſu poteſt demonſtrari: ſic nec corpus animatum creſcit, ſed animatum hoc corpus, quod ſenſibus uſurpari poteſt. Vt nobis primo libro de Generatione & interitu, tex. 40. teſtatur Ariſtoteles. Ergo debet eſſe corpus non ſolum animatum, ſed etiam ſenſile, quod quidem poteſt idem permanere, aut non permanere, poſt ipſam extenſionem.

Non eſt autem corpus augeſcens illud quod non permanet idem, ſed potius illud quod permanet idem per ipſam formam. Non temerè dixi, per formam; quia materia incrementi eſt ſimilis panno, qui menſuram ſtabilem prætervectus decurrit; atque aeri, qui fluit & refluit per utrem.

Forma uerò contrà eſt ſimilis menſuræ & utri, qui ſeruat perpetuò ſuam figuram, materia in fluente & effluente. Et ideo tametſi aqua in aerem mutata ampliorem neceſſariò occupat locum, non tamen uerè creſcit, quia aquæ forma non manet, ſed abit in aliam. ſ. in formam aeris contentam ſub maiori mole. Quocirca rectius mutatio hæc eſt & generatio, quàm incrementum, ut primo libro de Gen. & int. tex. 32. & 33. tradit Ariſtoteles. Itaque forma incrementi ſemper eadem permanet, quamuis materia continenter affluat & effluat. i. renouetur. Ergo figura eſt quæ augetur, quia permanet, ut figura manus: materia non augetur, quia non permanet. Ita-

que res dicitur augeri per formam, non per materiam. Eſt enim, inquit Galenus, propemodum ſimilis materiæ ligneæ nauis Argonautarum, cuius materia etſi longa nauigatione ſenſim fuerat reſoluta & ab artificibus refecta, nihilominus ſemper fuit eadem nauis, atque poſt tardum reditum figuram eandem retulit. non enim figura, ſed materia fuit mutata. Pariter ſtirpes & homines ſuſcipiunt iuſtum incrementum, mutata duntaxat materia, non autem forma ſiue figura extenſa in omnes dimenſiones. Quocirca nonnulli ex priſcis philoſophis, propter continuam materiæ fluxionem, opinati ſunt non eſſe eundem hominem hodie qui cras futurus eſt.

Cùm ergo per acceſſionem materiæ corporeæ ad corpus animatum & ſenſile quod augeſcit per formam permanentem, non per materiam, fiat incrementum, neceſſarium ſanè eſt fieri ab aliquo efficiente. Efficiens autem eſt facultas ipſa nutrix: quoniam materia quæ accedit incrementi gratia, alimentum eſt, quod primò mutatur, ubi effluxit è uenis, in humorem roſcidum, quem Medici ſecundum nominant. Talem ergo humorem facultas nutrix, cui ſeruiunt quatuor facultates naturales in omnibus ipſis membris, attractrix, retentrix, concoctrix & expultrix, rapit per fibras ſuas longas in foramina & meatus cæcos ipſius membri quod augeſcit. Raptum unà cum

237

calore cogit atque appingit aſſimilando partibus ſolidis foraminum, ſuccedente nouo iugiter alimento, ne detur meatus aliquis uacuus. Vbi uerò ſunt opplera foramina, tunc dilatatur illorum ambitus, & extenditur ſuperficies, pariter & per animam nutricem membrum nutritur, conuerſo illo humore in ſubſtantiam ſolidam. Et ob id ſubſtantia nutritur, & eius quantitas extenditur, qualis eſt oſſis & carnis.

Sed hoc opus non facit nutrix facultas, niſi per proprium inſtrumentum. Proprium autem inſtrumentum ſiue primum uel proximum eſt ſpiritus & calor fuſus per omnes partes corporis. & ideo à nonnullis iudicatur eſſe opifex incrementi. Id compro-

batur farina aqua ſubacta, cuius pars arida humeſcit, & humida ſpiraſcens attollitur in maiorem molem, à calore dilatante & diffundente materiam. ut libro 3. de Generatione animalium teſtatur Ariſtoteles. Opera ergo facultatis nutricis tum generantis tum etiam augentis per natiuum calorem fit incrementum, quia anima per calorem tanquam per inſtrumentum reſoluit (ueluti) carnem uel aliud corpus nutriendum atque augendum, atque adeo fundit in plurimos meatus: deinde, ut dixi, corripit alimentum extrinſecus accedens, multum quidem in amplos latosq; meatus, paucum uerò in anguſtos & minimos: correptum poſtremò uertit in ſubſtantiam

corporis nutriendi . Sed antequam corripiatur alimentum, cogitatione fingendum eſt, meatus oppletos eſſe ſubſtantia halituoſa & aerea, quæ occurſu alterius corporis coit in ſeſe, & loco cedit. Id commentum etiam Auerroi in primum de Gen. & Inter. tex. 30. placuit. Itaque à facultate nutrice, & generatio & nutritio & incrementum proficiſcitur, quia nequit fieri Incrementum ſine generatione & nutritione: ſiquidem hæ tres mutationes habent eandem materiam ſubiectam, & eandem efficientem cauſam, & idem inſtrumentum. Materia quidem, ut dixi, alimentum eſt, quod quatenus nutrit, eatenus iudicatur mutari poſſe, id eſt, eſſe in potentia ad ſubſtantiam,

ſicuti ad carnem , hoc eſt materiam ornatam forma : quatenus uerò auget , iudicatur poſſe mutari , id eſt eſſe in potentia ad materiam quantitate præditam ſeu quantam, & ad formam, ſed prius ad quantitatem, quàm ad formã, ſicuti ad carnem quantitate extenſam , & animatam ſeu formatam . Præterea hoc ipſo Incrementum differt à Nutritione , quia Incrementum certa periodo deſerit cauſam efficientem & materiam , nutritio non item. Nanque ut in primo libro de Gen. & Int. tex. 41. legitur , tamdiu nutrimur , quandiu uiuimus , ſed ſemper non creſcimus. Quamobrem opera facultatis nutricis augentis ſimul & generantis fit mutatio quantitatis ſiue Incre-

mentum.

Cùm autem fiat, tunc neceſſarium eſt fieri per partes minimas aut ſenſiles, aut non ſenſiles. Voco inſenſilem, particulam dimidiatam partis minimæ: ſenſilem uerò, partem minimam naturalem. Non fit autem per minimas partes inſenſiles, quia hæc dimidiata & inſenſilis particula non creſcit, ſed integra & ſenſilis, in qua formam naturalem conſeruat natura & retinet, cùm non poſſit ſub minori quantitate illam conſeruare. Itaque cuique parti minimæ ſenſili & naturali, ſub qua minore forma non conſtat, natura alimentum apponit, agglutinat, appingit & aſſimilat.

Cæterum quia natura nihil temerè nec fruſtra molitur, ideo

uériſimile eſt, ad aliquem uſum Incrementum ſuſcepiſſe. Suſcepit autem, ut præfinito termino extenſionis in quantitate, forma poſſit eſſe principium faciendi operis proprii in omnibus rebus naturalibus, ultra & citra quem terminum impoſſibile eſt progredi, ut ſeruetur integra actio rerum naturalium. Quoniam ut ſæpius Ariſtot. uſurpat, omnium rerum naturalium eſt maxima & minima quantitas, ultra & citra quam nulla formæ actio conſiſtit. Id quod nobis oſtendunt res artificioſæ, in quibus tanquam in ſpeculis naturæ opificia cernimus: non enim ex quantacunque materia aut lignea aut terrea aut ærea fabricantur uaſa, ſed præfinitam requirunt, cæteroquin

240
ſuum uſum in quem deſtinantur, aut nullum aut deprauatum præſtant. Triremis quidem ædificata ex tantillo ligno, quantum eſt granum ſinapis, nulli uſui eſſe poteſt nauigantibus aut claſſe pugnantibus. Et ut defectus materiæ, ita exceſſus impedit uſum, in quem artifices omnia ſua opera fabricantes mentis aciem intendunt. Simili quoque rationis modo natura, cuius ars eſt imitatrix & æmula atque imago quædam, nullum molitur opus temerè & ſine cauſa, quia nihil patitur otioſum; & ideo ne forma, quæ eſt principium internum, & per ſe, omnium actionum, fruſtretur, ex certa & terminata quantitate materiæ educta eſt. Formas enim educi Peripatetici

rectè opinantur, & non induci, ut falsò Auicenna & illius æmuli ſibi perſuaſerunt. Exemplo periclitemur primùm in parte hominis, deinde in toto homine. Manum quidem natura formauit, ut eſſet organum ſiue inſtrumentum aptum ad prehendendum, & ad paranda ea quæ ſunt neceſſaria uitæ humanæ, ſiquidem homo naſcitur nudus & deſtitutus illis præſidiis, quibus munita ſunt bruta animalia. Fruſtra ſanè hanc partem conformaſſet natura magnitudine æqualem unguibus, quoniam figura manus & eius forma poſtulat longè maiorem quantitatem pro uſu & actione quam obire oportet. Pariter uitium in exceſſu quantitatis auocat à proprio uſu. Quod dico de parte,

 241

idem quoque iudicandum cenſeo de toto homine. Debemus enim cum animis noſtris cogitare, nimirum reperiri hominem minimũ, uiciſſimq; maximum, ut forma humana neque minimo minorem, neque maximo maiorem patiatur & toleret, alioqui non poterit eſſe principium faciendi opera homine digna. Hominem namque finxit natura tum ad contemplandum, tum ad agendum. Itaque ut ars ſub figura, ſic natura ſub forma quadamtenus magnitudinem extendit, quia uſus & actio ultra citraq; extendi minimè concedit. Extendi autem poteſt hæc quantitas tantiſper à natura, quoad oſſa uel quaſi oſſa extenſionem poſſint ſuſcipere: ubi uerò non queunt amplius exten-

di, deſinit is motus, quod Incre-
mentum nuncupauimus. ut in-
quit Galenus primo de ſanitate
tuenda. Id autem ipſum in bru-
tis atque in homine conſpicitur
euidentius, quàm in cæteris re-
bus naturalibus. ut in 2. lib. de Ge
ner. animal. cap. 4. teſtatur Ariſt.
Non queunt ergo extendi, aut
propter materiæ defectum, aut
propter ſiccitatem. Quocirca par
ua magnitudo non eſt ſignum ne
ceſſarium ſiccitatis, quia huius
cauſa eſſe potuit materiæ inopia:
quemadmodum nec ampla ma-
gnitudo eſt ſignum neceſſarium
humiditatis: ut ait Gal. in lib. de
opt. conſtit. corporis. Sed humi-
dum eſt cauſa ſine qua non po-
teſt fieri extenſio: quia omne cor
pus infra globum lunæ continua

tur

tur atq; extenditur proprio humi
do ; quinimo nonnulli & graues
philoſophi & medici non uulga-
res, corpora quoque cœleſtia ſuo
humido continuari affirmauerũt,
ſed quale illud ſit, adhuc nõn de-
clarauerunt. Nam quemadmo-
dum hactenus nondum planè con
ſtat, qualis ſit materia illa cœle-
ſtis : ſic propemodum cuiuſmodi
ſit cœleſte humidum non poteſt
certò ſciri. Et ut controuerſia
eſt non leuis, an materia corpo-
rum inferiorum & mortalium pa
riter & ſuperiorum atque æterno
rum ſit eadem : ita in dubitatio-
nem cadit, utrum hoc humidum
in terris ſit idem quod adiudica-
runt orbibus cæleſtibus. Vtut res
eſt, nunc non facio meam litem,
quam diremi planisſimè in opere

Digitized by Google

quod conſcripſi de Natura cœle-
ſti. Illud apud nos conſtet, opera
humidi naturam moliri extenſio-
nem corporum aut tardius aut ce
lerius. Nam humidum natiuum
aut eſt aqueum & fluidum, aut ae
reum & tenax. Aqueum quidem
ut citò extenditur, ita quoque
conſumitur. Et idcirco omnia
animalia & animantia quæ citò
creſcunt, citò etiam commoriun
tur. Argumento nobis ſunt &
ſtirpes & fœminæ. Stirpes enim
quæ abundant humido aqueo,
qualis eſt populus, ſalix, alnus,
& aliæ eiuſdem ordinis, quæ aut
in aquis, aut prope aquas naſcun
tur, & uelox ſuſcipiunt incremen
tum, & non multo tempore ui-
uunt. Fœminæ ut citius creſcunt
quàm mares, ita quoque citius

moriuntur, niſi quippiam extrinſecus eueniat, uel diſpar ſit utriuſque ſexus ratio, idq́; accidit, quoniam magis aqueo humido afluunt. Iam uerò humidum aereũ & tenax remoratur uelox incrementum, quoniam ægrè & longo tempore extenditur à calore. Et propterea corpora quæ ſunt prædita humido tenaci ac lento, ſerò increſcunt, & ſerò moriuntur, niſi illud humidum ſit excrementoſum. Quoniam flamma ut diu non conſeruatur in oleo amurca pleno, ſic quoque uita in humido craſſo & recrementoſo minimè diuturna eſt. Nobis argumẽto ſunt aſini, & id genus animalia, quæ tametſi multo humido tenaci & craſſo abundant, nihilominus breui lucis uſu

ra fruuntur . breuis ſanè eſt comparatione uaſtæ molis, atque plurimi humidi. Ab illo enim genere humidi non pauca recrementa efferuntur, quæ non ſolùm proprias actiones impediunt, uerùm etiam uitam interſtinguunt. Quemadmodum enim in oleo amurcoſo emicat flamma obſcurior & tenebricoſior; ſic à corporibus quæ ſunt prædita humido craſſo & excrementoſo prodeunt actiones quàm ineptiſsimæ: ſiquidem recrementa ueluti fuligines ſpiritibus commiſcentur, quæ ſunt primum uel proximum inſtrumentum animæ. Nõ ſolùm igitur abundantia humidi & tenacitas retardat incrementum, ſed etiam ad longitudinem uitæ conducit. Ad longitudi-

244

nem quidem uitæ, ſi purum ſit, & non excrementoſum. Retardat autem, quia renititur & fit contumax calori extendenti in omnes dimenſiones ſiue magnitudines. Id quod facile poteſt intelligi ex natura oleæ & buxi & cupresſi, & aliarum ſtirpium, quæ ut tardè creſcunt, & paulatim humo aſſurgunt, ita longam uitam uiuunt, propterea quòd humido tenaci & pertinaci abundant. quemadmodum Theophraſtus in commentarijs ſuis de cauſis longitudinis & breuitatis uitæ omnium animantium ſiue ſtirpium abundè demonſtrauit.

Ex hac cauſarũ & principiorum contemplatione & reſolutione, facile quid ſit Incrementum colligere potes. INCREMENTVM igi

tur nihil aliud eſt, quàm Motus continuus quantitatis extenſæ in omnes dimenſiones, per acceſſionem extrinſecus factam materiæ ſenſilis & corporeæ, ad corpus animatum & ſenſile, quod per formam augeſcit, ante & poſt ipſam extenſionem, opera facultatis nutricis, natiuo calore & ſpiritu generantis & augentis, per minimas partes, ad præfinitum terminum, ultra quem progredi in rerum uniuerſitate impoſſibile eſt.

Atque hactenus de Incremento. Ex cuius definitione planè intellecta, & eius natura & eſſentia perſpecta, nullo negotio poteris ferre iudicium de aliorum opinionibus, atque adeo argumenta refutare, quæ uidebun-